tue et comedisti de ligno ex quo preceperam tibi

ne comederes maledicta terra in ope- ri- -e.

Plantaverat autem dominus deus paradisum voluptatis a principio. in quo posuerat hominem quem formaverat. Produxitque dominus deus de humo omne lignum pulchrum visu. et ad vescendum suave. lignum etiam vite in medio paradisi. lignumque scientie boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum qui inde dividitur in quattuor capita. Nomen uni phison. Ipse est qui circuit omnem terram evilath ubi nascitur aurum. et aurum terre illius optimum est. ibique invenitur bdellius et lapis onichinus. Nomen vero fluminis tertii tigris: ipse vadit contra assirios. Fluvius autem quartus ipse est eufrates. Tulit ergo dominus deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis. ut operaretur et custodiret illum. precepitque ei dicens. Ex omni ligno paradisi comede. de ligno scientie boni et mali ne comedas. In quacumque enim die comederis morte morieris. R.

Ecce a- dam quasi unus ex nobis factus est sciens bo num et ma- lum videte ne forte sumat de ligno vite et vi- vat in eter- num. V. Cherubim et flameum gladium atque versatilem ad custodiendum viam ligni vi- te. Videte. Lc. iiii.

Dixit quoque deus. Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur dominus deus cunctis animalibus de humo terre. et universis volatilibus celi adduxit ea ad adam: ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit adam anime viventis. ipsum est nomen eius. Appellavitque adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia celi. et omnes bestias terre. Adam vero non inveniebatur adiutor similis eius. Inmisit ergo dominus deus soporem in adam. Cumque obdormisset tulit unam de costis eius. et replevit carnem pro ea. Et edificavit dominus deus costam quam tulerat de adam in mulierem. et adduxit eam ad adam. Dixitque adam. Hoc nunc os ex ossibus meis. et caro de carne mea. Hec vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam. et adherebit uxori sue. et erunt duo in carne una. Erant autem uterque nudi adam scilicet et uxor eius et non erubescebant.

R. Igitur perfecti sunt celi et terra et omnis ornatus e- orum. Complevitque deus die septimo opus su- um quod fecerat et requievit ab omni ope- re quod patrarat. V. Vidit dominus cuncta que fecerat et erant valde bona. Complevit. Ad.

Cum sero autem factum esset dicit dominus vinee procuratori suo voca operarios et redde illis mercedem. Ps. Benedictus. Ad V. A. Quid hic statis tota die otiosi responderunt et dixerunt quia nemo nos conduxit. Ps. Magnificat.

Smitt Kroctall och Maantall
Register sampt Tienden och Konungs ...
uti ... Satagiming ... Tiende
Bohs ... Anno
1574

[S]ed et serpens erat Fer. iii. Lc. i.
Callidior cunctis animantibus terre. que fecerat dns ds. Qui dixit ad mulierem. Cur precepit uobis ds ut non comederetis de omni ligno paradisi. Cui respondit mulier. De fructu lignorum que sunt in paradiso uescimur. De fructu ligni quod est in paradisi medio precepit nobis deus ne comederemus. et ne tangeremus illud ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam moriemini. Scit enim deus in quocumque die comederitis ex eo. aperientur oculi uestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier quod esset bonum lignum ad uescendum et pulcrum oculis aspectu que delectabile. et tulit de fructu illius et comedit dedit que uiro suo. Qui comedit et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognouissent se esse nudos consuerunt folia ficus. et fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent uocem dni dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. abscondit se adam et uxor eius. a facie dni [illegible]

[U][illegible] ... [illegible] tuam audiui in paradiso. et timui eo quod nudus essem. et abscondi me. Cui dixit. Quis enim indicauit tibi quod nudus esses. nisi quod ex ligno de quo preceperam tibi ne comederes comedisti. Dixitque adam. Mulier quam dedisti sociam dedit michi de ligno et comedi. Et ait dns deus ad serpentem. Quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animancia et bestias terre. Super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus uite tue. Inimicicias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri quoque dixit. Mul-

tiplicabo erumpnas tuas et conceptus tuos in dolore paries. et sub uiri potestate eris et ipse dominabitur tibi. Responsorium.

[A]de uero dixit. Quia audisti Lc. iii.
uocem uxoris tue et comedisti de ligno ex quo preceperam tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uite tue. Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terre. In sudore uultus tui [illegible] pane [illegible] ... [illegible] es. [illegible] ... Et uocauit adam nomen uxoris sue eua. eo quod mater esset cunctorum uiuencium. Fecit quoque dns ds ade et uxori eius tunicas pelliceas et induit eos et ait. Ecce adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno uite et comedat. et uiuat in eternum. Et misit eum dns ds de paradiso uoluptatis ut operaretur terram de qua sumptus est. eiecit que adam et collocauit ante paradisum uoluptatis cherubin et flammeum gladium atque uersatilem ad custodiendam uiam ligni uite. Fer. iiii.

[A]dam uero cognouit euam uxorem suam. Que concepit et peperit caym dicens. Possedi hominem per deum.